

VINCENTIVS GRVNER LYPSENSIS PROFESSOR



VIncentius ille uir erat in scripturis sacris & huma-
nioribus literis doctissimus. docendi ta-
men modo (pro more eius seculi) scholasticus. Ac
cidit autem tum, ut orto dissidio in academia Pra-
gensи ob Ioannem Husium uirum eruditum (qui ecclesiam Romanam multis erroribus implicatam
asserebat) ut aliquot millia studiosorum sese Lypsiā
reciperent, atq; ibidem Marchionis Misniæ opera
nouam academiam plantarent. Itaq; factum ut hic
Vincentius eò publica authoritate uocaretur, atq;
ordinarius professor Theologiæ cōstitueretur, cir-
ca annum Domini millesimum quadringentesi-
num decimum. Itaq; is magna autoritate rebus ab
initio ibidem prætuit, atq; omnia diligenter administrauit, præsertim cum A-
lexander quintus pontifex eam scholam confirmaret, & priuilegijs exorna-
ret. Scripsit etiam libros tres super officio Missæ, atq; librum de questionibus
disputatis. Trit.